Vide hanc pag. 50 6.

Epistola cuiusdam amici ad ~~A~~ Camerarium

Wimariae.

XXVI Junij 1548

De clementia Caesaris et de paterna voluntate erga Germaniam patriam suam amantissimam ut in omnibus suis scriptis palam adulatur.

S. Multa de Caesaris Clementia scribis, quam tamen nos hic nec audimus, nec videmus, sed forsan ipsa est invisibilis et impalpabilis sub eius Tyrannide abscondita, quam quotidie semper magis ac magis sentimus et palpamus. Quamvis pro maiori sua parte adhuc abscondita latet, quod tam suis meditationibus dissimulare optime novit, simulator et dissimulator egregius. Quod si Clementiam putas, quod innocentem Imperij Principem nullo crimine infamatum, propter solam fictam inobedientiam, quam extra causam Religionis, nominare non potest, bannivit. Etsi tamen quoquo modo nominare posset, in non citatum nec vocatum, non accusatum, nec auditum, multo minus convictum, contra iura, leges, consuetudines et Romani imperij ipsum

damnavit Clementissimus Caesar, & mox crudeli
bello damnum exsecutus est. Et quamquam nihil egre-
gie fecit, sed optimum illum Principem solitarium
à suis equitibus turpi fuga derelictum, in campo
cepit, & adhuc captivum tenet, ipsumque suis terris
& provincijs spoliavit atque sua dignitate eum
privavit & captivitatem eius solvere nondum de-
crevit. magna illa Caesaria Clementia, quam
rectius tyrannidem & summam inclementiam
à saeculis non audita dixeris, praecipue in talem ac
tantam personam innocentissimam. Itaque quam
dura oportet esse inobedientiam, quae tantas, tot ac
tales poenas meruit, summam & maximam ne-
cesse est eam inobedientiam esse, etiam maiorem
quam crimen laesae Maiestatis, quod certe nullis
punitur, quam haec huius innocentis Principis
inobedientia est punita. Capite enim illud plecti-
tur bonis omnibus, haeredibus relictis. Huic vero om-
nia tolluntur, bonis spoliatur, captivus tenetur, et
ad haec vita quoque periclitatur, ut summa, nihil
crudelius fieri aut excogitari poena à Clementissimo
Caesare posset. Ideo inquam, Quia poena est
summa et maxima, eam inobedientiam etiam
summam & maximam esse oportet, qua
maior excogitari non posset. Quid nam est illa

Audi dicam tibi, Principatum meretricem supra
bestiam septicipitem sedentem, mandato & iussu Domini
nostri Iesu Christi agnoscere noluit, nec ei ullo modo
obedire. Hanc inobedientiam Deus mundi Satan
ipse, Romanae Curiae Princeps, ~~[illegible]~~ ferre nullo
pacto potest. Ideo sic fremit, furit & insanit
in suis membris, & Hispanis, & ipsam obedientiam
apud Lutheranos gladio & igne resarcire praesumit,
religiosos omnes qui Romano Antichristo obedientiam
promiserunt, quamvismuis impios & malos data
pecunia diligit, colit, veneratur, ac liberat, suisque
possessionibus eos relinquit. Solus ille innocens &
sine crimine Princeps, quod universo orbi notum est,
omnibus suis bonis spoliatur, honore privatur, &
talia ac tanta pati cogitur, qualia nullus latro,
adulter, parricida, Incendiarius, patriae, pacis publicae
perturbator, propriae religionis blasphemus, unquam
punitus est. Immo quod maius est qui omnium
illorum & plurimorum criminum reus est, hic est
summus amicus & dilectus filius, hic restituitur
& exaltatur iustitia scilicet & Clementia Caesaris summa,
Et quid plura! Haec Clementia Caesaris contra
suum eius iurandum alienum populum & barbarum

in Germaniam introduxit, ut oia tam patenter
et clementer cum patria sua Charissima agere
et facere posset, nempe quod eam igne et ferro
vastare, et Turcarum Tyrannorum tam longe
predam obijceret, eique liberum introitum atque in-
gressum patefaceret, ita ut iam nulla civitatum
preter unam nobilem et sanctam Magdeburgam
ei se opponere ausit aut possit. Nam et reli-
quas civitates suis munitionibus et privilegijs
spoliavit Clementissimus Caesar, et hanc quoque
innocentissimam civitatem, quae neminem
lesit, neminem offendit, nullum crimen
commisit, spoliasset, si nisi se opposuisset atque sua
privilegia, quae ultra multos centenos annos
a Caesaribus habuit defendisset. Et quod nulla post-
eriam munitiones vult demoliri, ut Turca
facilem aditum et ingressum habere possit, tam
barbarica Clementia Caesaris. Ut ex magno
amore ipsam cum tota patria sua charissima
tamque pater patriae in Hispanicam et Italianam
servitutem et quidem perpetuam redigeret, et sibi
subiugaret. Principes quoque Germaniae perpetuos
servos haberet, ne iuxta antiqua iura, privilegia,

consuetudinem et libertatem Imperij Germanicae
Nationis Caesarem eligere ausint aut possint
et patrem patriae clementissimum. Et quod summum
est et omnium aliorum damnorum maximum, quod
patriam suam charissimam vult spoliare verbo dei
et eam cogere ad abominationes et idolatrias pa-
pisticas ad Romani Antichristi impias traditiones.
Nam illud INTERIM nihil aliud est quam
restauratio papatus, propter quam et hoc bellum
incepit Caesar. Ut Germaniam patriam suam
non solum Turcae, sed et Satanae in predam ob-
jiceret, quod facta sua iam manifeste ostendunt,
et declarant. Rogo enim quae nam est illa inobe-
dientia Electoris Saxoniae propter quam bellum
hoc movit Caesar, nisi illa quia optimum Prin-
cipem iam a multis annis accusaverunt,
quod Romanum Antichristum audire noluerit,
quod Lipsenses tui et Misnenses scienter impie
et perfide dissimulabant et aliam inobedientiam
callide et insidiose contra innocentem Principem
cum suo Mauritio finxerunt, quod ipsos iam
nobiscum sentire puto, si saltem sensum
rectum habeant, et si hoc tacebant, tamen Con-
scientia ipsorum, contra quam hec dic fecerunt,

vos; ſi tempore ſuo arriſabit atq; nimis chari
vix indicabit opus egregium quod extruxerunt,
in ſuam et ipſorum ~~perditionem~~ perditionem, et
damnationem; His bene vale, et opto tibi
Clementem illam Clementiam Ceſaris, a qua
Deus me cuſtodiat atq; liberet, per Jheſum Christum
Dominum noſtrum Amen atq; iterum amen
Ex edibus noſtris 26. Junij 1548

N. N. amico ſuo N. N.